DE

VI AC NATURA CONTAGII SYPHILITICI.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE IX. M. SEPTEMBRIS A. MDCCCXL.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

Joannes Fridericus Otto

RHENANUS.

OPPONENTIBUS:

H. LOHDE, med. et chir. Dr., med. pract.
E. de WULFFCRONA, med. et chir. Dd.
CH. FR. SIEFART, Cand. jur.

BEROLINI,

TYPIS NIETACKIANIS.

PATRUO

OPTIMO DILECTISSIMO

JOANNI FRIDER. OTTO,

REGI A CONSILIIS,

ac nunc, erat hujus morbi facies. Fortasse quis hoc morbi spatium a primis exordiis usque ad annum MDXL exanthematicum nominaverit, vel contagiosum, cum aëre jam contagium propagaretur et morbi natura esset exanthematica atque acuta. Cujus quidem sententiae

Testis est Conradus Schellig (1), qui fusius disserit de pustulis malis contagiosis, quae secundum Avicennam de genere sunt formicarum. Testis est Marcellus Cumanus (2), qui se vidisse testatur »plures Dominorum Mediolanensium armigeros et pedestres pati pustulas in facie et per totum corpus, et incipientes communiter sub praeputio, vel extra praeputium, sicut granum milii, aut super castaneam cum aliquali pruritu patientis. Aliquando incipiebat pustula una in modum vesiculae parvae sine dolore, sed cum pruritu; fricabant et inde ulcerabatur formica corrosiva, et post aliquot dies incurrebant in angustias propter dolores in brachiis, cruribus, pedibus, cum pustulis magnis.« Testis Josephus Grünbeck, qui in „Libello de mentulagra, morbo rabido, superioribus saeculis incognito“ suam ipsius morbi historiam ex ordine uberius conscripsit seque ad biennium fere in cruciatuum, tuberculorum et exulcerationum flu-

---

(1) „In pustulas malas etc. consilium.“

(2) Observationes de lue venerea.

mine jactatum, nullo pacto inde in sanitatis ripas emergere potuisse confitetur. Jam vero quod ad naturam contagii volatilem testis est iterum et saepius Conrad. Schellig, qui haec scribit: »maxime vitandus est aër veniens ab infectis, et etiam habitatio, et mora cum eis, et omnia quae a corporibus eorum sunt tacta.« Et Jos. Grünbeck in guerimonia Mentagrici sic cecinit: »Polluit egrediens (scl. e papulis) proxima quaeque vapor.« Praeclare adnotat Joh. Widmann, dictus Meichinger, in Tractatu de purtulis etc. »aërem locorum in quibus hae pustulae et generari et multiplicari consueverint, fugiendum esse pro viribus.« Nec mihi hic Petr. Pinctor silentio praetermittendus videtur, qui in libro »de morbo foedo et occulto his temporibus affligente« iterum iterumque hortatur, »ut quisque sibi fuga ab hoc malo consulat, nam unus homo infectus dicto morbo potest inficere homines conversantes et stantes cum infecto, etiam potest inficere aërem camerae et domum, ubi habitant, et sic pertransit de uno homine ad alium, et de una domo ad aliam perducitur aër maliciosus per totam civitatem« etc. Sed haec hactenus.

Alterum spatium, quod est ab a. MDXL usque ad nostra tempora, eo insignitur, quod Gonorrhoea Gallica apparuit, quod cursum chronicum assumsit morbus, quod non nisi contactu infecit, quod membranas mucosas et ossa corripuit, cum antea in cute sedem fixisset, quodque morbi forma in ulcera

et Gonorrhoeam secessit. Ceterum morbus Gallicus jam tunc multo mitior erat (1) auctore Fracastorio, qui quidem etiam praedixit, fore ut aliquando e terris plane evanescat.

DE CONTAGII NATURA.

Novimus contagium primis morbi temporibus vaporosum fuisse, ita ut jam aër inficeret homines (2). Inde epidemiae terribiles, quae per totam paene Europam grassabantur, inde illud edictum Gallicum (3), quod omnes qui Syphilide laborarent, Parisiis excedere jussit, inde abrogatio balneorum communium, quorum usus olim maxime florebat.

Sed circa annum MDXL contagii natura prius vaporosa in fixam commutata est, ita ut inde usque ad nostra tempora non nisi contactu possit transplantari. Affixum autem est contagium muco gonorrhoico et pure cancroso, quae una eademque inflammatione producta, cum analysi chemia, auctore Berzelio, tum acquirendi ratione et alios infi-

---

(1) 682. Celle maladie a remis beaucoup de sa ferocité et aigreur première et n'en sont les peuples si travaillez qu'ils soulaient. Martinus Dorchesino in „Triumpho luis venereae" etc. etc.

(2) Hieronymus Mercurialis 821 Astr.

(3) Arreste du Parlement de Paris, pourtant reglement sur le fait des malades de la grosse Verole. „Que tous les malades de ceste" etc.

ciendi modo minime differunt. Infectio vero differt a contagio s. a materia inficiente. Nasci enim videmus ulcera ex coitu cum rhoïca, et gonorrhoeam ex coitu cum femina ulceribus syphiliticis affecta. Haud raro etiam accidit ut ex eodem fonte utraque Syphilidis forma profluat. Sunt enim qui saepissime observaverint, eodem tempore ex coitu cum meretrice infecta primum ulcera, alterum et tertium gonorrhoeam, quartum quintumque leviorem quandam syphilidis formam, caeteros nil mali tulisse. Simile quid videmus in rabie canina et in piscibus electricitate armatis.

Atque, ut affirmant medici aliquot Hollandici Ill. ex ulceribus potest fieri gonorrhoea, si aegrotus calorem justo majorem ad penem applicat.

Non opus est, hic refutare vanam illorum opinionem, qui multum interesse contendant inter pus gonorrhoicum et cancrosum propterea, quod ulcera nunquam sine artis auxilio, gonorrhoea vero saepissime sponte, sola vi naturae medicatrice, sanetur; nam quotidianis fere exemplis contrarium observare licet.

Quodsi igitur nihil interesse diximus inter utramque infectoriam materiam, quod ad colorem, consistentiam et analysin chemicam, id est ad qualitates physicas, attinet, nihilominus plurimis probatur observationibus, pus ulcerum certius vehementiusque inficere, quam mucum gonorrhoicum, illud igitur continere contagium in maximo, hunc in minimo.

Huc pertinet illa **Ricordii**, professoris Parisiensis, sententia, qui fretus observatione, quod ulcera contagii inoculatione, minime autem gonorrhoea, transferri possint, illud gonorrhoeae secretum non arbitratur specificum, neque separat gonorrhoeam ab aliis blennorrhoeis, sola irritatione ortis. Perperam vero! cum enim illa inficiat, hae vero nequaquam, necesse est, ut habeat acre quoddam, inflammationem pariens. Accedit, quod etiam secretum ex secunda jam propagata inflammatione non est consuetus atque insons mucus inflammatorius, sed producitur eadem materia acris; unde sequitur, revera esse contagiosum illud gonorrhoeae secretum.

Sed distinguendum est contagium a vehiculo, id est a materia, cui illud adhaeret et quae contagium alias volatile fixum reddit.

Materia, id est vehiculum contagii, cui utriusque formae contagium conjunctum est, eadem videtur, quamvis una a membrana mucosa normali, altera anomala secernatur; num vero variae infusoriorum species in utroque contagii vehiculo reperiantur, perscrutationibus microscopicis adhuc parum constat.

At vero pus contagium continens ne differt quidem a quovis alio pure, quod ex historia evolutionis morborum apparet; utrumque enim pus una eademque caussa pathologica gignitur, scilicet inflammatione; itaque exempli gratia cutis inflammatio in morbis contagiosis non est contagii, sed puris formatio, quod vero hoc in casu continet contagium;

neque sunt vesiculae pustulae, cetera organa morbi contagiosi propria fructificationis et secretionis, ut plerumque falsa quadam et praejudicata opinione putatur, sed formae inflammationis cutis consuetae exsudatoriae. Unde luce clarius patet, posse existere morbos contagiosis simillimos, nec aliter distinguendos, quam quod nec sint contagio orti, nec forment contagium.

A contagii vehiculo, semper organico, distinguendus est portator contagii, qui est corpus non animatum, cum homine aegroto nullum habens commercium, cui contagium tantum adhaeret cum vehiculis suis organicis. Huc pertinet lana, vitrum, linum, sericum, cornua, alia, de quibus postea verba faciam.

Mirum admodum videtur, contagium illud syphiliticum, disjunctum a corpore, et vel instrumentis, vel lino adhaerens, post longum temporis spatium, si denuo humectetur, inficere posse. Quae quidem contagii tenacitas in pure ex ulceribus sumto major observata est, quam in muco gonorrhoico. Aliis vero materiis diutius inhaeret, quam aliis, ut idioelectricis, lanae, serico, vitro, dum electricitatis conductores, metalla, carbones, alia parum servant illam inficiendi vim. Habes igitur similitudinem quandam contagii syphilitici cum electricitate. Exiles caloris conductores perbene igitur servant contagium. Quamdiu vero retinere possit contagium ex corpore vivo sejunctum illam inficiendi faculta-

tem, huc usque diremtum non est. Opus autem est certis et temperiei et aëris momentis, ut possit perstare atque vigere sejunctum illud tanquam a genitrice contagium. Huc mihi praecipue pertinere videtur certus temperaturae gradus. Sunt contagia, quae tantum gradus 14°, alia, quae 20—40° perferunt; quis gradus contagium syphiliticum exstinguat, parum constat; minores temperaturae gradus minus sustinere posse videtur, quemadmodum gangraena nosocomialis, temperie usque ad congelationis punctum imminuta, inficiendi vim perdit. Haud raro etiam accidit, ut per tempus aliquod illa infectionis facultas in corpore venereo exstincta videatur, quod quidem eo facilius fit, quo celerius plures infectiones se excipiunt. Idem fere videmus in rabie canina, nec non in torpedine aliisque piscibus, qui electricitate saepius brevi tempore edita per temporis momentum eam amittunt facultatem.

Ex omni animantium regno homo solus facultatem habet recipiendi contagium syphiliticum; quae enim de morbis animalium venereis dicuntur, merae sunt fabulae. Quotidianis enim exemplis probatur, contagia humana ad corpora brutorum non posse propagari, illa autem bestiarum contagia, ut vaccinas etc., facile ad homines transplantari. Immo vero, ne ipsi quidem animalium ordinis superioris morbi, ut vaccinae solidungulorum propagari possunt ad inferioris ordinis bestias, ut in hoc casu ad prensiculantia.

Sed et inter ipsos homines contagium syphiliticum recipiendi facultas magnopere differt pro singulorum idiosyncrasia et constitutione. Sunt enim, in quibus nullum fere receptivitatis vestigium inveniri videatur; quodque Gabriel Faloppius dixit in tractatu de morbo gallico, »aliquando a centum adolescentibus scortum infectissimum atque turpissimum causa joci cognosci, et tamen vix unum infici,« quotidianis paene observationibus extra dubium ponitur. Eandem sententiam profitetur Eustachius Rudius in libris de morbo Gallico: »saepissime visi sunt, inquit, plures cum uno et eodem scorto eadem quoque die commercium habuisse, quorum alii infecti sunt, alii vero non«, ita ut verissimum sit illud Galeni(1) dictum, »nullam caussarum, etiamsi pestiferae et subinde in agendo validissimae sint, sine patientis aptitudine agere posse.«

Quibusnam rebus contagii vis et augeatur et adjuvetur, parum constat. Nemini parcit haec pestis, omnemque corripit aetatem, utrumque sexum. Hoc vero pro explorato habemus, animi perturbationibus, nec non potibus libidinem excitantibus augeri receptivitatem. Influit in contagionem etiam temperamentum, inprimis sanguineum, aëris terraeque constitutio, genius morbi stationarius ac vitae rationes. Differt autem contagium syphiliticum ab aliis contagiis et praesertim miasmaticis, ut a morbillorum,

(1) Liber I. de differ. febrium Cap. IV.

scarlatinae, reliquorum, quod una infectione receptivitas nec minuitur neque plane tollitur, immo vero augetur atque evehitur. Recepto igitur contagio, incipit morbus, neque vero omnes corporis partes recipiunt contagium. Inprimis enim inficiuntur membranae mucosae, quatenus foris facile ad eas aditus patet, et inter has maxime ea genitalium, quae in coitu habet quendam turgorem adauctamque, ut ita dicam, vitalitatem. Rarius fit receptio contagii per mucosam recti, oris, narium, labiorum, conjunctivae oculi, per integumentum mammarum, mucosae admodum simile. Sequuntur vulnera, ulcera atque eae cutis partes, quae sunt epidermide orbatae, quod plerumque fieri solet in erysipelate.

At si quaeritur, quibus potissimum rationibus illud inducatur corpori contagium, ante omnia coitus cum per vaginam tum hoc praecipue saeculo per anum hic afferendus videtur. »Verum non uno modo transponitur malum, ut ait Erasmus in colloquio, quod inscribitur *ἄγαμος γάμος*, sed osculo, sed colloquio, sed contactu, sed compotatiuncula serpit ad alios.« Et Petrus Haschardus statuit in Tractatu »Morbi Gallici compendiosa Curatio« morbum adscisci »dormiendo in iisdem linteamentis, vel induendo vestes infectorum, per generationem vero ex parentibus infectis generari liberos cacochymicos doloribus plenos et curatu admodum difficiles.« Luis venereae lactatione ortae exemplum affert Eustachius Rudius »de morbo Gallico«

si nutrix infantem aut alterius aetatis hominem lactet, qui Gallico pernicie laborent, potissimum si aphthis, aut oris affectu aliquo syphil. teneantur.«

Varia est (triplex) contagionis ratio apud infantes secundum Schoenlein. Aut alteruter parentum prius quidem infectus, tempore generationis sanus est; in hoc casu infans nascitur plerumque sanus, sed biennio vel triennio elapso, apparent prima luis symptomata, ulcera scirrhosa, aliaque suspecta; aut alteruter parentum tempore generationis lue affectus est, sed non pudendagra, ita ut infectio fieri non possit per vaginam. Tunc foetus jam in matris alvo lue corripitur. Reliquum est, ut sit foetus sanus, sed transiens per vaginam syphiliticam matris morbo inficiatur.

Sed erunt fortasse, qui interrogent, quaenam, cum contagium corpori hominis ad illum morbum opportuni sit inductum, prima efficiat symptomata, quibusque rationibus grassetur in organismum?

Primae mali radices in illis partibus apparent, unde morbus ortus est, proinde, si per oscula cum vibratione et conflictu linguarum, ulcera in faucibus et palato oriuntur, si concubitu, in pudendis, si lactatione per mammas invadit. Neque vero statim post infectionem apparent morbi symptomata, sed tempore aliquo, pro variis contagiis vario, intermisso. Quamquam hoc stadium latentis contagii interdum deesse videtur, teste Ricordio a momento inoculationis nascitur illa pustula cancrosa; animad-

vertimus etiam post infectionem ex coitu statim maculam rubram, ex qua ulcusculum prodit.

Sunt, qui arbitrentur, contagium aut inter stadium latentis contagii in loco receptionis quiescere, aut resorberi et in sanguinem abire, ut in hydrophobia. Quae cum ita sint, quaeritur, num ibi quiescat citra extensionem atque evolutionem, an ab initio paulatim augeatur et tum demum morbus incipiat, cum certa accumulata sit quantitas. Haec prior sententia jam eo refutatur, quod destructio loci insitionis, nisi primo infectionis tempore fiat, nullo modo a morbo defendit.

Altera vero de evolutione contagii in corpore humano sententia probabilior mihi videtur, propterea quod tempus stadii latentis contagii nimis varium est, quam ut possit a mutatione contagii interna pendere. Notum enim est, tum salivationem subito oriri, cum diuturno usu hydrargyrum in organismo sit accumulatum. Prima syphilidis symptomata oriuntur effectu solo locali. Inveniuntur dein symptomata, quae testantur transitum contagii in lympham. Ultra vero lymphaticas glandulas contagium inoculatione diffundi non potest. Sanguis, secretiones, et suppurationes secundariae, immo etiam exanthemata non inficiunt secundum **Ricord** pag. 162. Ill. **Schoenlein** hanc opinionem plane rejiciendam censet, quum nullae reperiantur mutationes in systemate lymphatico, quum bubones aliique glandularum tumores etiam alios morbos comi-

tentur, cumque symptomata, quae apparent in mucosis, quae in ossibus, minime possint explicari, si systema lymphaticum propriam luis sedem habeamus.

Jam vero, quae de receptione contagii in sanguinem, quae de secretione ejus critica per exanthemata et ulcera dicta sunt, ad fabulas referenda sunt. Nunquam enim insitione sanguinis hominum, in quibus lues jam ad acmen pervenerat, potuit hic morbus provocari. Exempla (1) vero, quibus demonstrare conantur nonnulli, sanguine materno foetum infectum esse, partim dubia et incerta sunt, partim aliorum observationibus refutantur. Non dicam hoc loco, ut explicem, quibus potissimum rationibus illae lue venerea effectae in organismo mutationes fiant, vanam Galenicorum opinionem, qui in corruptione hepatis, bilis, adipis vim contagii poni volunt; nec verba faciam de iis, qui theoriam Brunonis secuti, syphilidem morbum asthenicum declarant. Sed unius tantum Herm. Boerhaavii practicum ingenium liceat admirari, qui in praefatione ad Aloysii Luisini Aphrodisiacum dicit, »hoc mali genus semper sedere in illo humore pingui corporis humani, quem hodierni cellulosam membranam vocant, quae toti cuti ubique supponitur, musculos omnes investit, horum

(1) Girtanner l. c. pag. 380.
Frorieps Notizen Bd. 23. pag. 153, 330.

tendines circumdat et supra periostei exteriora et ad ossa et ad juncturas supra ligamenta se expandit, et omnia involvit etc.«

»Si ergo contagiosa labes per poros epidermidis ingressa ad cellulas membranae adiposae pervenerit, ibidemque occurrenti pingui permiscuerit se, tunc oleum hoc tenax virulentia sua inquinat, cutim superpositam rodit, interimque sub his circumfusas per ambitum cellulas oleosas contaminat. Sensim elatum magis, tentum, jamque dolens, tuberculum hoc in apice eminente rumpitur, materiem fundit contagiosam.« Omitto etiam illam Sylvii opinionem virum venereum acidum esse, et fermentatione omnia oriri morbi symptomata.

Altera est Hunteri sententia et eorum, qui pathologiam solidarem profitentur. Putant enim, contagium excitare per irritationem specificam in organis sensibilitate et irritabilitate praeditis reactiones specificas ex legibus sympathiae ad organa affinia sese propagantes, et organa inprimis secretoria proprio modo ita disponentes, ut pariant secretum, foris recepto contagio, quoad facultates et indolem quam simillimum. Placuit etiam quibusdam recentioris aevi scriptoribus contagium cum seminibus animantium, contagionem vero cum generatione comparare. Errant vero vehementer, qui hac comparatione, quamvis ingeniosa, doctrinae de contagiis lucem affundi arbitrentur, cum luce sit clarius, rem obscuram obscuriore non posse illustrari.

Sed omissis opinionum vanitatibus, dubia que theoriae subtilitatibus, quae quotidianis observationibus, nec non virorum illustrissimorum auctoritate constare videantur, referamus:

Contagium immediate illam corripit partem corporis humani, si habeat illam, de qua supra diximus, aptitudinem, cui admovetur, ibique parit inflammationem chronicam, vel potius ulcusculum, quod contagii evolutio non tam certis, quam in scarlatina, morbillis, aliis, temporis finibus circumscripta est, quod in corpore infecto indoles sive dispositio ad hanc luem non tollitur uno morbi impetu, et quod in margine ulceri syphilitici calloso, per exsudationem in telam cellulosam, ex inflammatione ortam, regeneratio normalis non nisi difficulter fieri potest. Forma morbi, qui in loco infecto oritur, duplicem prae se fert faciem; quoniam aut afficiantur mucosae sine discessu partium constituentium, ut in gonorrhoea, aut continuitas tollitur cum partis deletione, ut in ulceribus. Qualis vero luis forma oriatur, ex mea quidem sententia tantum a loco receptionis contagii pendet; quod si in urethram inducitur, oritur gonorrhoea, si cum alio penis loco communicatur, ulcus. Restat, ut simul ad urethram et ad glandem penis perveniat, quo facto ulcera una cum gonorrhoea in eodem individuo emergunt. Quam primum igitur morbosa partis alicujus metamorphosis incepit, paulatim instar plantae parasiticae in organismo radices suas agit, a loco infecto

i. e. a mucosa versus omnes ex ordine mucosas et inde ad periosteum propagatur, et quo magis evolvitur, eo magis naturam organi aegroti alienat, donec denique aut suppuratione aut ulceratione, aut etiam desquamatione plane amoveatur. Ac si quis interroget, quibus praecipue morbis aut excludatur lues, aut quibuscum sese conjungat, dico admodum paucos morbos abhorrere a complicatione cum lue, ut typhum, inprimis petechialem, quo lues aut plane aut per tempus aliquod tolli videatur; huc etiam pertinere credo plures morbos acutos exanthematicos, ut variolas, quibus influxus major minorve est in luis evolutionem. Sed infinitus est numerus morborum, qui sese conjungunt cum lue, qui hac conjunctione in pejus vertuntur, novasque ut jam Paracelsus in libris, von Franzosen B. 3. C. 3. pag. 175. asserit, pariunt morborum species (1). Itaque ignorasse mihi videntur has veterum auctorum formas ut ita dicam larvatas, quicunque de Pseudosyphilide magna voce verba facientes aliquid novi se reperisse exclament.

Jam vero cursus morbi et ejus aut major aut minor vehementia partim ab idiosyncrasia hominis infecti, partim ab aëris et terrae constitutione pendet. Nam ut nihil dicam de aegroti et regimine et curatione, videmus sub coelo calido vim inficiendi esse

---

(1) Herc. Saxonia de lue venerea c. 5. pag. 260. (8vo. Frcf. 1600.)

majorem, morbumque latius serpere, sed consentiunt, quotquot sunt medici terrarum meridionalium, sanationem morbi esse faciliorem et solis impetrari diaphoreticis. Hic adeo mitis luis character in regionibus septemtrionalibus parum observatur, et quemadmodum hic magis ulcera, ita illic magis profluvia nec non exanthemata reperimus. Mirum sane est, qualem habeat vim in morbum perniciosum aurae maritimae contactus, quam rapidum efficiat decursum, et quam difficilis ibi sit curatu. Itaque suo jure mehercle, quicunque Venetiis hac lue affecti sunt, Patavium proficiscuntur. Nec parvi momenti ad luis formam et curam est genius anni epidemicus et inde profluens morborum constitutio. Si enim viget constitutio morbi inflammatoria, habemus profluvia cum natura synochae, si gastrica, cum torpore; alias animadvertimus accedere ad ulcera et gonorrhoeam bubones, alias dominantur condylomata. In terra Europae continenti lues jam inde ab anno MDCCCXX., quo anno magna ubique increbuit epidemia scarlatinosa, naturam exanthematicam tulit, quam nunc quoque retinuit.

Restat, ut dicam, quibus praecludi possit contagiosa morbi propagatio. Liceat hoc loco intelligere vanam Veterum superstitionem, credulitatemque. Secundum Hier. Montuum (1) morbi venerei caventur, »si mox post coitum penis immittatur

(1) Chirurgica auxilia ad aliquod effectus etc. Lugduni 1558 in 4to.

in discissam et adhuc calentem columbam, quae venena omnia rapit.«

Aut, si statim post coitum circa penis radicem vinculum ex panno linteo, unius digiti latitudinem aequante, arctius circumdetur, et penis universus spongia decocto (1) anti-syphilitico imbuta foveatur secundum Eustach. Rudium. Nec desunt (2), qui coitu cum virgine adhuc intacta luem tolli censeant.

Jul. Caes. Claudinus (3) in libro VI. sectione II. cap. V. auctor est illis, qui cupidini ultra modum indulgere volunt, ut ante congressum aliquamdiu pudenda muniant et densent lotionibus austeris et adstringentibus, vel applicitis linteolis supra glandem, quae in decocto anti-venereo diu infusa et macerata sint. Sed quorsum haec nugarum antiquarum enumeratio? Quum non nisi contactu immediato hodie contagium syphiliticum traducatur, omnia prosunt, quae valent et ad abluendam et ad dirimendam contagii materiam, ut lotiones post coitum ex urina, ex aqua saponata, ex acidis mineralibus dilutis, aliisque liquoribus. Quibus tamen omnibus cautelis parum fidei habendum esse censeo,

---

(1) De morbo Gallico libri V. Venetiis 1604. 4o.

(2) Hercul. Saxonia. Luis venereae perfectissimus Tractatus etc. Patavii in 4to 1597.

(3) Empirica rationalis libris VI. absoluta et in duo volumina divisa. Bononiae 1653 in fol.

et is modo beatus praedicandus, cui dedit natura illam rariorem quidem ab infectione immunitatem.

Quodsi igitur hucusque et originem et effectum contagii in corpore humano persecuti simus, nunc animum ad ipsius contagii contemplationem adducendum esse arbitramur. Ingeniosa admodum est veterum opinio illa de contagii animatione. Inveni locum in dissertatione Antonii Deidier de morbis venereis — edita in. Monte-pessulano 1723 in 8. — quo contendit auctor »morbos venereos referendos esse in animalcula, numerosa, minima, agilia, maxime prolifera, quae ab infectis in sanos celeri contagione propagentur; quae loca, ubi haerent, morsunculis impetant immo etiam depascantur, atque ea ratione symptomata omnia, quae morborum venereorum propria sint, inducant.« Sed haec quantumvis singularia videantur, nova tamen non erant, et contendit August. Calmet, Benedictinus e. S. S. in dissertatione de Lepra »luem ab inconspicuis vermiculis cutem depascentibus« productam fuisse, quod multis rationis vel observationis momentis conatur confirmare, sed incassum meo quidem judicio. Nunc omissis antiquorum auctoritatibus, primum quidem de causis disserendum mihi puto, cur sit contagium animatum; et hic jure miramur inprimis facultatem illam per assimilationem corporum alienorum sese augendi, quam nullam, nisi in animantibus reperimus. Vehementer errant, qui fermentationis processu hanc refutari volunt senten-

tiam, disputantes, fermentum in fermentatione continuo sponte regenerari, cum expertum sit novissimis Schwannii inprimis observationibus, fermentationem nihil aliud esse, nisi organici fluidi dissolutionem per phytozoa. Accedit deinde, quod quantitas effectus non dependet a contagii quantitate, ut fit in venenis proprie sic dictis; quae quidem per minimum agendi vis illa contagii sponte sese augendi facultate efficitur. Tum licet ex cursu illius morbi certo et legitimo concludere de legitima causae morbi evolutione, quod quidem est solum animantium. Videmus etiam contagia, ut parasitas, quae impensis corporis aegroti nutriuntur, validissima quaeque et optime nutrita corpora inprimis aggredientia, unde curatio per inediam repetenda esse videtur. Si igitur contagium animatum esse concedamus, necesse est, ut habeat, sicut caetera animantia, figuram suae ipsius naturae aptam accommodatamque, ut inhabitet corpus, aliis ejusdem infimi ordinis animalibus simillimum. Est enim haec non scripta, sed nata lex humani ingenii, ut quamcunque rem prius non visam tali fingamus forma, qualem in rerum natura jam antea conspeximus. Itaque non mirum, quod, qui primis illius morbi temporibus hac de re scripserunt, in contagio insecta, vel vermes inesse voluerint, aut, quod alii, postquam animalcula microscopio detecta fuerunt, infusoria arguerint; nostris vero diebus, cum per observationes Basii et Andouini circa morbum

quendam contagiosum bombycum fungorum microscopicorum, summa explanatio et rapidum augmentum et maxima vitae tenacitas omnibus innotuerit, satius fortasse erit existimare, contagium corpore instar plantarum vegetabili includi. Certissima vero hujus sententiae argumenta quamquam huc usque non adsunt, tamen nec plane refutari, nec sine ulla dubitatione confirmari potest. Restat alia praeterea sententia, quae defendit contagium illud contineri morbosis elementorum animalium partibus, at quendam individualitatis et spontaneitatis gradum evectis; quod ideo non verisimile crediderim, quod nulla adhuc novimus elementa, quae a corpore sejuncta diutius vitam aut retineant, aut exsiccatione amissam denuo recipiant; quod deinde contagium non potest augeri, nisi intra corpus illud, cujus sunt illa elementa morbosa. Admodum vero notum est, contagium, prioribus, ut accepimus, praecipue temporibus etiam extra corpus humanum ortum petiisse; quare absolute individuale esse contagium, concedamus necesse est.

Haec habui, quae de vi ac natura contagii syphilitici paucis dissererem; quae si quis vel ad usum quotidianum parum referenda esse, vel ad morbi ipsius curationem minoris momenti existimet, uno tantum ex plurimis exemplo utar. Variam esse inflammationum therapiam pro varia earum specie quis est, qui non consentiat; alia est traumaticae, alia symptomaticae curatio; inflammationes vero con-

tagiosae, ut prima syphilidis exordia, falsa quidem, ut persuasum habeo, sed pervulgata et vetustate jam valde corroborata opinione, symptomaticae, nostra vero sententia traumaticae habentur. Itaque nihil amplius sibi faciendum esse putant illi priscae disciplinae vindices imitatoresque, sed exspectandum, donec per ulcera tanquam per vias, quibus excernatur contagium, naturales illud eliminetur; altera vero sententia, quam nos amplexi sumus, quaeque inflammationem et ulcera non dyscrasiae effectum sed caussam esse defendit, quamcunque vetat moram, et illico post infectionem morbum ejusque caussam ferro ignique debellari jubet. Nec aedepol frustra nec sine successu contra luem generi humano maxime pestiferam pugnabunt, quicunque illas secuti leges ac doctrinam, opem ferre conantur miseris; id quod tum artis medicae annalibus novissimis tum virorum Illustrissimorum auctoritatibus gravissimis satis abunde quotidie probatur.

LITERAE.

Aloysii Luisini Utinensis Aphrodisiacus, sive de lue venerea; in duos tomos bipartitus, continens omnia quae hactenus de hac re sunt ab omnibus medicis conscripta. Lugduni Batavorum MDCCXXVIII.

Joannes Astruc: De morbis venereis libri novem, in quibus disseritur tum de origine, propagatione et contagione horumce affectuum in genere; tum de singulorum natura, aetiologia et therapia cum brevi analysi et epicrisi operum plerorumque, quae de eodem argumento scripta sunt. Editio altera. Lutetiae Parisiorum MDCCXL. Tom. II. in 4o.

Frid. Schnurrer M. D. Materialien zu einer allgemeinen Naturlehre der Epidemien und Contagien. Tübingen 1810.

Ricord, Traité pratique des maladies vénériennes. Paris 1838.

Georg Friedr. Handschuch, die syphilitischen Krankheitsformen und ihre Heilung. München 1837.

Dr. Phil. Gabr. Hensler's Geschichte der Lustseuche, die zu Ende des XV. Jahrhunderts in Europa ausbrach. Hamburg 1789.

Dr. Henle, Pathologische Untersuchungen. Berlin 1840.

Dr. Joh. Wendt, die Lustseuche in allen ihren Richtungen und allen ihren Gestalten zum Behufe akademischer Vorlesungen. 3te Auflage. Wien 1827.

Carl Ludw. Klose, allgemeine Aetiologie der Krankheiten des menschlichen Geschlechts. Leipz. 1822.

Kurt. Sprengel, Versuch einer pragm. Geschichte der Arzneikunde. Halle 1821. 6 Bde. 8o.

Christoph Girtanner, Abhandlung über die venerische Krankheit. 3 Bde. Göttingen 1789. 8.

V I T A.

Natus sum ego Joannes Fridericus Otto, fidei catholicae addictus, Coloniae Agrippinae a. MDCCCXV. die XXIX. mensis Septembris patre Casparo mercatore, matre e gente Hoecht. Sed jam admodum puer patria derelicta una cum parentibus Castrum Heriberti veni ibique in scholam publicam mox traditus primis literarum elementis imbutus sum, quibus pueri solent erudiri. Deinde in disciplinam gymnasii regii Confluentini receptus ad secundam hujus gymnasii classem ut adscenderam, contigit mihi, ut Ernestum Dronkenium egregium nanciscerer praeceptorem, abs quo per quadriennium sapienter et singulari cum cura me

institutum esse, semper gratissimo animo reminiscar. Maturitatis testimonio munitus cum almam literarum universitatem Fridericiam Guilelmiam Rhenanam adiissem, a Rectore t. t. Magnifico Prof. Cl. Wutzer inter cives academicos receptus nomen apud medicorum ordinem professus sum. Quibus interfui lectionibus, hae sunt:

De logice et psychologia audivi disserentem Cl. v. Calker, de physice Cl. Pluekker, de botanice Ill. Treviranus, de zoologia Ill. Goldfuss, de mineralogia Cel. Noeggerath, de chemia Ill. G. Bischof. Anatomiam et generalem et specialem Cel. Mayer et Weber mihi tradidere, qui quoque in cadaveribus secandis duces mihi fuere; encyclopaediam et methodologiam medicam, nec non pathologiam generalem Ill. Naumann, physiologiam Ill. Mayer, therapiam specialem et generalem Cel. Nasse, materiam medicam Cel. Albers, chirurgiam et anatomiam chirurgicam Ill. Wutzer, artem obstetriciam Ill. Kilian.

Per semestria quinque Bonnae commoratus verno tempore Heidelbergam adii institutionesque clinicas frequentavi Cel. Chelius, Cel. Puchelt; audivi etiam disserentem Cel. Posselt de morbis infantum. Sed quemadmodum ob naturae amoenitatem Heidelbergam me contuleram, ita summis professorum gratiosi medicorum ordinis laudibus ductus, Berolinum profectus sum. Duces mihi ibi fuerunt:

Ill. Rust et Dieffenbach in clinico-chirurgico, Cel. Truestedt et Wolff in clinico-medico; audivi etiam Ill. Hecker disserentem de historia medicinae.

Quibus viris omnibus, maxime de me meritis, gratias ago quas possum maximas.

Jam vero tentaminibus, tam philosophico quam medico, et examine rigoroso rite absolutis, spero fore, ut, dissertatione thesibusque defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1. Mercurialismus saepe syphilide perniciosior.
2. Uti poëta ita medicus nascitur.
3. Inter graviditatem omnes priores morbi intermittuntur.
4. Raro mingit castus.
5. Judicis est in verba medici forensis jurare.